

DE GRAVIORIBUS CULPIS.

Is autem frater, qui gravioris culpa noxa tenetur, suspendatur simul a mensa et ab oratorio. Nullus ei fratrum in ullo jungatur consortio neque in colloquio; solus sit ad opus sibi injunctum, persistens in poenitentiae luctu. Noxa i. e. mortali delicto et criminali peccato tenetur. In hoc loco intuendum est, quia hoc capitulum generavit illa sententia Pauli apostoli, in qua dicit: Tradite hujusmodi hominem satanae in interitum carnis. Inde etiam sacri canones, qui hominem ab ecclesia, separant, tracti sunt. In hoc loco intuendum est, quia, sicut sapientes intelligunt, perceptio cibi vel potus ante horam criminale peccatum est. Sed in isto loco discretio debet esse; v. gr. si quia frater unam phialam vini aut aliquid panis alicui dederit sine licentia, in levioribus culpis teneri debet, si autem ipsam phialam vini vel aliquid panis biberit vel manducaverit sine licentia, in graviore culpa teneri debet, quia Adam de uno pomo manducando, i. e. non meliori cibo edens, eo quod contra praeceptum Domini fecit, meruit expulsionem Paradisi - ita tamen, si illam phialam vel cibum absconse, i. e. furtim biberit vel manducaverit. Si autem aut cellerarius aut aliquis illi dederit, non est in noxa tenendus sed in levioribus culpis. Graviore culpa teneri debet, qui quocunque modo fornicationem fecerit, excepto solummodo in somnis. Si frater a quinto decimo anno adprehendit parvulum et facit cum illo infantulo fornicationem, ille infantulus virgis flagelletur et castigetur pro hoc. Deinde si talis ejus fuerit vita bona et amplius ipse in hoc peccatum non inciderit, potest venire ad presbyteratus honorem. Ipse autem, qui jam grandis est, si semel hoc pro ebrietate fecit, in leviori culpa excommunicetur; si autem bis vel ter in hoc peccatum inciderit, nunquam ad presbyteratus accedat honorem et mittatur in graviore culpa; si autem jam presbyter est et si inciderit in hoc peccatum semel et fortuito et pro ebrietate, non in gravi culpa excommunicetur, sed